

Spiritus Vini alcoholisati . . drachmas quatuor;

Olei essentialis Lavendulae . . drachmam unam:

In parvula retorta obturata diurno spatio digere, dein apposito excipulo, juncturisque vesica, & glutine obferatis, lenissimo igne arenae ad siccitatem distilla.

C A P U T XIII.

DE SALIBUS.

§. I.

SALES VOLATILES.

Vide superiorem §. de Spirit. & Salibus volatilibus.

§. II.

SALES ESSENTIALES;

SAL ABSINTHII.

Collectum Absinthium paullo prius quam Flores emiserit, & in pila marmorea contusum, in vas fictile idoneum immitte: Aquae tantum affunde, qua immergatur: tum ad dies viginti tepido, & quieto loco repositum fermentescat: postea Liquorem prælo expressum quiescere sine; & cum faex subsiderit, defunde, per chartam cola, atque ad liquidi Syrupi consistentiam per evaporationem redige. Iterum percola ut antea, vasisque

que vitreo inditum ad plures menses in cella repone; vel donec vasis fundo, & lateribus adhæreant Cryſtalli. His collectis evaporationem, & cryſtallificationem repete, uſque dum Salem totum exhauſeris; quem tandem in Aqua ejuſdem Plantæ ſtillatitia ſolutum percola: exhala, & in cella detine, ut denuo formentur Cryſtalli.

Simili modo eliciatur

Sal eſſentialis Cardui benedicti,
Centaurii minoris,
Scordii, &c.

SAL ACETOSELLÆ.

Ex florida Acetofella, rejeſtis Radicibus, eliciatur Succus, qui fermentatione, & colo chartaceo depurgetur: tum in vitrea cucurbita ad medias evaporet, iterumque percolatus calido loco reponatur, uſque dum ſiant Cryſtalli, a melligine ſeparandæ, quas deinde Aqua diſſolve: percola, & in Cryſtallōs, ut antea, redige.

Eadem norma extrahi poteſt

Sal eſſentialis Acetofæ,
Agreſtæ, &c.

§. III.

ALCHALICI SALES LIXIVI.

SAL ABSINTHII.

Absinthii cum ſtipite quantum vis combure in cinerem, qui patinæ terreæ inditus in fornace ad aliquot horas calcinetur: deinde in Aquæ decuplo bulliat,
Y dum

dum eadem Sale saturata sit. Lixivium calens percola : in fictile vitreato ad pelliculam evapora : tum frigido loco repone donec Sal in Crystallos concreseat. Hisce collectis residuum Lixivium per chartam denuo trajice : ad pelliculam exhala, ut altera Crystallificatio fiat ; idque etiam repete ad omnem Salem eliciendum. Quod si crystallinum Salem minime curas, Lixivium ad siccitatem evaporare finito, & residuam materiam Aqua dilue, filtra, evapora ; quod sæpius faciendum, ut album Salem obtineas, quem in vitreo vase rite occluso serva.

Similiter parabis

Lixivios Sales Arthemisiæ,
 Cardui benedicti,
 Centaurii minoris,
 Ligni Juniperi,
 Ononidis cum Radice,
 Tamarisci,
 Thecarum, &
 Stipitum Fabarum.

S A L T A R T A R I.

Tartarum calcinatum in Aqua solve, percola : Lixivium effunde in vas figulinum, ut igne moderato exhalet ad siccitatem. Salem collige, & vitreo vase obturato inclusum in hypocausto repone.

N. Cum Oleum Tartari per deliquium parare vo-
 lueris, pone in patina vitrea Salem Tartari, & tandiu
 in humido loco detine, dum penitus in Liquorem resolu-
 lutum

lutum sit, quem deinde per chartam trajectum in vase vitreo asserva.

NITRUM FIXUM.

Nitrum purum in crucibulo amplo liquefeat: tum carbonis pulverem ex cochleari projice iteratis vicibus, usque dum cessante flamma, & fragore Nitrum coeat in massam. Hæc Aqua calida dissolvatur, quæ panno percolata igne leni ad siccitatem evaporet. Habebis Nitrum fixum, quod bene siccatum in vase vitreo servabis.

N. Idem *Sal cucurbitæ vitreæ* inditus, atque in cella vinaria repositus liquefcit: tum autem Nitri Liquor appellatur.

LAPIS CAUSTICUS.

R Cineris Sarmentorum calcinati . . libras quatuor,
Calcis vivæ pulveratæ libras duas:

Bulliant in Aquæ communis decuplo ad medias: tum percolatum Lixivium iterum bulliat ad siccitatem. Sal remanens crucibulo inditus calcinetur, donec fluat, & spumam agere desinat: tum supra lapidem Oleo illitum effundatur, & protinus in Trochiscos oblongos secetur, qui vase rite obturato inclusi in calido loco ferventur.



§. IV.

SALES NEUTRI:

ARCANUM DUPLICATUM, SEU
SAL DE DUOBUS.

R Capitis mortui ex distillatione Aquæ
 fortis libras tres;
 Aquæ communis libras viginti quatuor:
 Caput mortuum ollæ terrea inditum super fornace ho-
 ræ unius spatio calcinetur. Eidem refrigerato Aqua fer-
 vens affundatur: ad medias bulliant: tum fervens per-
 coletur Lixivium, cujus in fictile ad siccitatem evapo-
 ratio fiat. Remanens massa semel atque iterum Aqua
 dissolvatur: Solutio per chartam trajecta iterum evapo-
 ret. Sali concreto bis affundatur Vini Spiritus alcoholi-
 satus, qui deflagret. Tandem novum Alcohol superfu-
 sum distillatione abstrahatur ad siccitatem Salis, qui in
 vitreo vase obturato fervetur.

SAL MIRABILE.

R Salis marini purificati libram unam;
 Olei Vitrioli uncias octo:
 Sali marino Aqua dissoluto Vitrioli Oleum instilla,
 tum inde vitrea retortæ, cui apponatur excipulum, &
 igne arenæ gradatim adhibito distilla. Prolectum Spi-
 ritum a phlegmate per evaporationem separa, & recon-
 de. Quod in retorta remanet calcina, donec fumum
 emitte

emittere desinat: Aqua fervente dissolve: per chartam cola, atque igni arenæ committe, ut Aquæ tertia fere pars evaporatione absumatur: hinc loco frigido repone, ut formentur Crystalli a Liquore superstite diligenter separandæ, calidoque loco siccandæ.

SAL POLYCHRESTUM.

R Nitri puri pulverati libras duas,
 Florum Sulphuris libram unam:
 Simul commista in ollam candentem per partes inji-
 ciantur. Restincta flamma per duas horas ignem ita
 urge, ut olla semper candeat: tum massam exime: fri-
 gescantam tere: Aqua calente dissolve, quæ percolata
 ad cuticulam vaporet. Tum in frigido loco repone, ut
 Sal in Crystallus concreseat.

NITRUM STIBIATUM:

Quæ ad edulcandum Antimonium Diaphoreticum
 adhibita fuit Aqua, in fictile ad pelliculam evaporet:
 tum in cella reponatur; ut fiant Crystalli, quæ colle-
 ctæ, & siccata in vitreo vase includantur.

SAL PRUNELLÆ, SEU CRYSTALLUS
MINERALIS.

R Nitri puri libram unam,
 Florum Sulphuris drachmas duas:
 In crucibulo Nitrum liqua: tum Sulphuris Flores per
 vices

vices injice : cum deflagraverint , crucibulum ab igne remove : Nitrum effunde in pelvim cupream circumversandam , donec concreseat : tum exime , & serva .

TARTARUM SOLUBILE, SEU SAL VEGETABILE.

R Crystalli Tartari libram unam ;
 Salis Tartari uncias sex ,
 Aquæ communis libras octo :
In amplo vase figulino , postquam per se ferbuerint , ad ignem , quantum satis , bulliant : tum Liquor calens per chartam trajiciatur , & ad siccitatem evaporet .

TARTARUM VITRIOLATUM.

Cucurbitæ vitreæ quantitatem eam Liquoris Tartari immitte , quæ tertiam circiter vasis partem occupet : tum Vitrioli Spiritum rectificatum guttatim affunde , donec nullum amplius fervorem excitari videas : deinde igne arenæ lenissimo vaporet ad siccitatem .

TERRA FOLIATA TARTARI, SEU TARTARUM REGENERATUM.

R Salis Tartari exsiccati , & adhuc calentis libram unam ;
 Spiritus Aceti libras duas :
Salem Tartari in cucurbitam vitream inde : Aceti Spiritum sensim affunde : Sale saturatum Spiritum , & per

per chartam trajectum pone in cucurbita, & M. B. fere ad siccitatem elice insipidum Liquorem. Sali recentem Aceti Spiritum denuo, ac tandiu adjice, ac prope ad siccitatem distilla, dum sentias nihil eum denique acoris sui amisisse. Tandem in cucurbitæ fundo remanentem, & leni calore exsiccatum Salem triplo Vini Spiritus alcoholisati solve: percola, & M. B. Vini Spiritum abstrahendo, sicca, obturatoque vitreo vase inclusum colloca in hypocausto.

N Hunc ipsum Salem Spiritu Vini solutum, si servare vis, Tincturam: sin autem siccatum liquefcere finis in loco humido, Liquorem habes Terræ foliatæ Tartari.

Ad hanc Salium compositorum Classẽ sequentia referri possunt.

I.

TARTARUM MARTIALE SOLUBILE.

℞ Tartari solubilis libram unam,
Scobis Ferri uncias sex,
Aquæ communis libras duodecim:

In olla ferrea supra cineres calidos triduo digerantur: bulliant deinde ad medias: postea fervens Liquor percoletur, & ad siccitatem exhalet.

II.

SAL, SEU VITRIOLUM MARTIS.

Rubiginosa Ferri Scobis ponatur in olla ferrea, & Spiritu Sulphuris dephlegmato large irroretur. Sedata efferve-

vescentia affundatur Aqua communis ad ollæ medieta-
rem : postea horas duodecim bulliant, ferventem Aquam
subinde adjiciendo. Liquor calens per chartam trajicia-
tur, & igne arenæ evaporet ad Salis concretionem :
exempto Sali, & in vasculum vitreum indito Vini
Alcohol ad trium digitorum eminentiam affunde : ali-
quot horas digere, defusoque Vini Spiritu Sal ad albe-
dinem igne lenissimo exsicca.

III.

SAL, SEU SACCHARUM SATURNI:

Plumbi Cerussam pulveratam pone in cucurbita vi-
treâ, Spiritumque Aceti ad eam sensim mensuram affun-
de, ut transversos quatuor digitos emineat : materia
per triduum in digestionem maneat, quam sæpius agita :
postea, cum ea quieverit, Aceti Spiritum in aliud vas
effunde, novumque residuæ Cerussæ adjice : digere :
per inclinationem defunde ; idque tot vicibus repete,
dum Acetum non amplius dulcescat. Tunc ij Liquores
simul omnes commisti, & charta percolati igne arenæ
in cucurbita vitrea ad siccitatem exhalent. Siccata ma-
teria in pari quantitate Aquæ, & Aceti stillati solvatur :
adhuc calens percoletur : ad pelliculam evaporet, &
frigido loco ad crystallisationem reponatur.



IV.

I V.

TARTARUM EMETICUM.

℞

Croci Metallorum uncias quatuor;
 Cryſtalli Tartari pulverati libram unam,
 Aquæ communis libras quindecim:

In fictile ſupra cineres calidos per noctem digerantur: poſtea ad horas octo, Aqua fervente aliquoties adjecta, bulliant: tum calidus Liquor per chartam trajiciatur: ad cuticulam evaporet, & in cella ſubterranea collocetur, ut fiant Cryſtalli; idque repetendum ſuperſtitis Liquoris evaporatione.

V.

LAPIS INFERNALIS.

Scobis Argenti puriſſimi cum triplo Spiritus Nitri in phiala vitrea ampla diſſolvatur: ſolutio igne arenæ leni evaporet ad tertias; poſtea crucibulo germanico indita lente bulliat, donec agere ſpumam, & fumum emittere deſinat, atque inſtar Olei appareat: tunc in tubulos ferreos oleo illitos ſtatim effundatur: concreta materies ponatur in vaſe vitreo, quod diligenter obſtruendum eſt, atque in ſicco loco aſſervetur.

V I.

LAPIS MEDICAMENTOSUS.

℞

Colcothar Vitrioli uncias ſex;
 Lithargyri preparati,
 Aluminis rupei ana uncias quatuor,
 Z Aceti

Aceti acerrimi libram unam, & semis:
In fictile ad triduum macerentur omnia identi-
dem agitando: tum evaporent in siccam massam,
que vehementi igne per horam calcinetur.

CAPUT XIV.

DE EXTRACTIS.

§. I.

EXTRACTA PROPRIE DICTA.

EXTRACTUM ABSINTHII.

R Absinthii recentis contusi libras octo:
In cucurbitam capitello munitam immitte, ac tri-
duo macerari finito: postea M. B. duas circiter Aquæ
uncias elice, quam serva. Eidem Absinthio affunda-
tur Aquæ communis triplum, & facta per horas sex
digestione, bulliant ad tertiæ partis consumptionem:
Liquor deinde exprimatur: Ovi Albumine clarifice-
tur, & panno trajectus M. B. ad consistentiam crassi
Electuarii evaporet; quo tepefacto permisceatur Aqua
distillata, & in fictile obrurato servetur Extractum.

Similiter parantur Extracta

Herbarum Cherefolii,

Chamæpitys,

Cochleariæ,

Melissæ,

Nastur-